



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

De dante filiam, aut sororem neque scientem, neque volentem, viro infideli in matrimonium. Capvt LXVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

mul acceperit, ipse cum secunda excommunicatur: & quæcumque mulier fidelis viro infideli nupsit, ipsa quoque a communione fidelium separatur: quæ si pœnitentiam maleficii egerit, & eum virum quem habere non poterat, id est, infidelem, dimiserit, non est recipienda nisi eo modo quo recipitur is qui postquam fidem negavit, ad fidem reuertitur; debetque ipsa infidelem relinquere. erit autem pœnitentia eius qui ad fidem reuertitur, & eius quæ virum infidelem reliquit, ferre cilicium, dormire super cinerem: constituendumque est eis de ieiunio & de bonis operibus, prout conveniat; & postea licebit cum fidelibus conversari, & communionem sacram accipere. & qui contradixerit, a Synodo excommunicatur.

De dante filiam, aut sororem neque scientem, neque volentem, viro infideli in matrimonium.

CAPVT LXVIII.

Si quis fidelis filiam, aut sororem non consciam, neque volentem, neque cogitantem, neque præsentem dederit nuptum infideli, separabitur, & prohibebitur communione fidelium: ipsa vero quæ data est in matrimonium, non est prohibenda. Si autem qui hoc fecit, pœnitentia ductus illam ab infideli separaverit, constituenda est ei pœnitentia secundum peccatum eius, quanta sacerdoti videbitur convenire illi, & ab eo sustineri posse. quod si pœnitentiam patienter sustineat, debet humanius cum eo agere sacerdos. & qui non paruerit, Synodus eum excommunicat.